



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

11 Vicarius generalis primum locum obtinet post Episcopus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

in à capitulo, sede vacante deputati, ut ibi, liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenient. excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua, per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiarum gratis absolvere impositâ pœnitentiâ salutari, Concil. Trident. cap. 6. sess. 24. de reform.

Decimò fallit in visitatione, quia, licet sede Episcopali vacante capitulum succedat in jure visitandi diœcesina, ut trad. Abb. in cap. cum olim, num. 2. vers. sed in distindtè, de major. & obed. tamen non habet jus visitandi monasteria, nec loca exempta, quæ visitat Episcopus, ejusque Vicarius generalis auctoritate Apostolica, Clementin. 2. de st. tu. monachi. Abb. in d. cap. cum olim, nu. 2. vers. quindò dubitatur, & Concil. Trident. cap. 8. sess. 7. de reform. & cap. 9. de reform. sess. 24.

Undecimò fallit in correctione, in qua licet capitulum habeat jurisdictionem procedendi, illam habet jure ordinario, & Vicari Episcopi cum facultate sufficienti procedit, omni appellatione remota, ex dispositione facti Concilii Tridentini, ubi inquit, Episcopi, ut aptius, quem regunt populum, possint in officio, atque obedientia continere, in omnibus iis quæ ad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus, & potestatem habeant, etiam, tanquam Apostolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi juxta canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro

subditorum emendatione, ac diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur. Nec in his, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediatur, aut suspendatur, ut in cap. 10. ead. sess. 24. de reform.

Vicarii, & officiales generales Episcoporum unum, & idem sunt, cap. licet, cap. final. de offic. vic. in 6. & Rot. decis. 2. in addit. num. 2. eod. tit. in nov. & habent jurisdictionem ordinariam, cap. sua, de offic. vic. cap. licet, eodem tit. in 6. Abb. in cap. final. num. 2. de st. le. instrum. Innoc. in cap. sua nobis, de offic. vic. Felin. in rub. de offic. deleg. nu. 4. & Jas. in rub. de offic. ei. nu. 2. coruscantque ex radiis Episcoporum, ita quod Episcopus, & Vicarius representat utrum, & idem tribunal, & consistorium, c. 2. de consuet. in 6. cap. Romana, de app. lib. eod. lib. gloss. antepen. in Clem. 2. de re-scriptis. & Rot. decis. 9. de offic. vic. in antiquis.

Unde inter Episcopum, & Vicarium non datur locus, sed immediatè post Episcopum sedere, accedere, & omnes de capitulo precedere debet, nec potest contraria consuetudo, quæ attendatur, induci, Abb. conf. 21. cum seq. fuit à me questum, per tot. vol. 1. Felin. in rub. de major. & obed. num. 10. circa fin. Staphyl. de mod. & form. impetr. §. transeo nunc. nu. 12. Rot. de offic. vic. dec. 1. nu. 5. in no. & divers. decis. 206. nu. 4. par. 1.

Quamvis autem per creationem Vicarii generalis illi tribuatur ordinaria jurisdictione, hoc procedit, quoad universitatem

cast-



causarum, sed potestas inquirendi, corrigendi, excessus puniendi, & à beneficiis, officiis, vel administrationibus amovendi non tribuitur, nisi specialiter sibi committantur, *cap. licet, de offic. Vic. in 6.* & quamvis facultas conferendi videatur illi concessa, *c. ex frequentibus, cum gloss. in verb. officialium, ibi, qui possint instituere vice Episcoporum, de institut.* tamen procedit solum in institutione, quam facere potuit, quæ cum dependeat à voluntate præsentantis, & instituere sit necessitatis, expressa fieri debet, *Abb. in cap. ex frequentibus, nu. 7, & 8, de instit.* secus verò in collationibus, quæ à vicariis fieri non possunt, nisi facultas sit eis specialiter concessa, *c. final. in fin. de offic. Vic. in 6.* Et hinc videmus, quòd jus instituendi sede Episcopali vacante transit in Capitulum, *c. cum olim, de major. & obed. & Abb. in cap. auctoritate, nu. 8, de instit.* non autem conferendi, *Abb. in d. cap. cum olim, num. 2, de majorit. & obed. cum aliis supra deductis.*

¶ Vicarius Episcopi † legitima generali facultate suffultus, regulariter potest omnia, quæ potest Episcopus, exercere, & quemadmodum Episcopus, cujus vices gerit, est honorandus, *c. precipimus, 33, dist. Rom. sing. 362.* & *Rebuff. in prax. benef. de Vic. Episc. nu. 7.*

Fallit tamen dicta regula primò in consecratione Episcoporum, in qua tres requiruntur Episcopi cum Metropolitano ad Episcopum consecrandum, *cap. Episcopi, & ibi gloss. 1, & cap. comprovinciales, 64, dist. cap. fin. 66, dist. cap. Episcopi, 80, dist. & s. unic. in princ. de sacr. Vnct.* & tamen Vicarius hoc casu vicem Episcopi gerere non potest.

Fallit secundò in Sacramento Chrismi

tis, quòd Vicarii conficere non possunt, quia tempore Apostolorum ab aliis, quàm ab ipsis Apostolis nunquam actum fuit, nec postmodum ab aliis, quàm Episcopis, perfici potuit, *c. de his, & c. manus quoque, de consecrat. dist. 5, & d. c. un. §. per frontu, de sacr. unct.*

Fallit tertio in ecclesiarum, & altarium consecratione, & calicis benedictione, quæ cessante privilegio Apostolico ad solos Episcopos spectat, *cap. quamvis, 68, dist. & eod. cap. unic. §. fin. de sacr. Vnct.*

Fallit quarto in Chrismate, & oleo sancto, quòd solis Episcopis, non autem Vicariis conficere licet, & die Cœn. Dom. conficitur, *d. c. un. vers. manus Episcopi, de sacr. unct. & Rebuff. for. vic. Archiep. & alio n. 40.*

Fallit quinto in ordinum collatione, quos non potest Vicarius conferre, cum solis Episcopis facultas ordines conferendi sit attributa, *d. c. quo minus, 68, dist. gloss. 1, in cap. quia periculosum, de sent. excon. in 6.*

Fallit sexto in correctione capitulorum Cathedralium ecclesiarum, quæ, consuetudinibus, & concordiiis non obstantibus, quæ tantum suos obligant auctores, non etiam successores, ab Episcopis quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari etiam auctoritate Apostolica vigore dicti decreti possunt, quæ Vicarios facere non licet. *Conc. Trident. in c. 4, de reform. sess. 6. & Congr. Conc. super eod. cap. 4. sub tit. Brixien. §. Qui visitare, & §. capitula Cathedralium.*

Fallit septimò in actuali, & solemnii degradatione ordinatorum, quæ Episcopis solum est reservata, *c. 1, de heret. cap. si quis, cum seq. 15, q. 7, cap. degradatio, de penit. in 6. Conc. Trid. c. 4, de reform. sess. 13.*

Fallit